

DE RHETORI-
CA ECCLESIASTICA,
SIVE DE MODO CONCIO-
NANDI, LIBRI TRES, PER
QVAM ERVDITI,
AVGVSTINI VALERII, VE-
ronensis doctissimi Episcopi.

Vnâ cum tribus prælectionibus eiusdem; & pulcher-
rîma Ecclesiasticæ huius Rhetoricæ
SYNOPSIS.

Adiecto etiam Indice locupletissimo.



COLONIAE
Apud Geruinium Calenium, & Heredes
Quentelios. M. D. LXXV.

CITATA
AMPLISSIMO
ET RELIGIOSISSIMO
CARDINALI, CAROLO
BORRHOMAEO, PATRONO OPTIMO,
P. Galefinius Prorogotarius Apосто-
licus. S. D.

MAGNUM opus est, atque
difficile, Cardinalis amplissime,
mandare literis de rhetorica Ec-
clesiastica præceptiones, easque
grauissimis sententijs, & verbis
lectissimis explicatas, ad rhetorum morem ra-
tione & arte distinguere. primò enim quæcunq;
in rhetoricæ scriptionis genus cadunt, ea sanè
quidem cum innumerabilia penè sint: tum græ-
cis, latinisq; literis partim à veteribus, nobilissi-
mis illis dicèdi magistris tradita vberrimè, par-
tim à recentibus tractata etiam variè, non fa-
cile profectò certa quadam via ità comprehen-
duntur, vt in omnes partes possit vsus illius Ec-
clesiasticæ tractationis planè conformari. Mul-
tiplex est ab illis instituta de Oratoris officio
præcipiendi ratio, varia de fine quæstio, plena
concertationum de oratorijs partibus disputa-
tio. quarum partium vnacuaque cum sit ars ipsa

DE RHETORI-
CA ECCLESIASTI-
CA AD CLERICOS,
LIBER PRIMVS.

Quandam esse Ecclesiasticam Eloquentiam.
CAP. I.

INGV A, vt Lactantius Firmianus scribit, cum verum loqui coeperit, & virtutem, maiestatemq; Dei interpretari, tum demum suo fungitur munere. quandiū falsa loquitur, in suo vsu non est. Oratores autē seculi, qui falsis sepe argumentis, & adulationibus incautos animos decipere consueuerunt, & in suis orationibus gloriam Dei propositam non habuerunt, rectius homines ad argutam copiosamq; malitiam, ad blandam, seditiosamque calliditatem, atque ad omnia verborum lenocinia instructos, quam eloquentes, quispiam dixerit. Quòd si quis contendat, tot mala non ab arte, sed à deprauata hominum natura fuisse profecta; oratorem sic esse definitum, virum bonum, dicendi peritum; is certè nō negabit, viri etiam bonis dicendi facultate instructis, quos admirata est antiquitas, minime fuisse propositum, ad verissimam Christi religionem, vnicam veritatis magistrā, auditores instruere, & eos ad beatam & aeternam vitam impellere. Quare rectè, aliud animo cogitans, dixit ille apud Ciceronem, disertos se vidisse quam plurimos, eloquentem verò